



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1553. usque ad annum 1557

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771


VD18 9011857X

§. 1. Cardinales Conclave ingressi pro electione novi Pontificis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66565](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66565)



HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ LIBER CLI.



SED, VAC. postea PAULUS IV. PAPA.
CAROLUS V. OCCIDENTIS
IMPERATOR.

§. I.

Cardinales Conclave ingressi pro electione novi Pontificis.

Sæcul. XVI.
A.C. 1555.

Pallav. hist.
Conc. Trid.
l. 13. c. 11. n. 8.
Ciacon. vit.
Pont. t. 3.
p. 809.
Spond. hoc
ann. u. 8.
Rayn. u. 21.

Justis pro Marcello II. Pontifice de more celebratis Cardinales tum Romæ agentes die decima quarta Maji sacris Comitibus initium dederunt, iique erant numero quadraginta quatuor, atque inter illos numerabatur quoque Farnesius Cardinalis, qui a Marcelli II. electione absens, nunc literas a Gallicæ factionis Cardinalibus ad Henricum II. Franciæ Regem datas secum deferebat; hi enim Reginaldum Polum in summum Pontificem eligi peroptabant, nec minus ipsa etiam Maria Angliæ Regina nil ardentius in votis habebat, quocirca hac de re ad Gardinerum, Arundellium Comitem, & Pagetum, qui tum Caleti

Caleti morabantur, literas dabat, pe-
tens, ut hi Hispaniam inter, & Fran-
ciam pacem conciliarent: Pariter eos-
dem rogabat, ut Cardinalem Lotharin-
gium, Connestabilem, ceterosque Gal-
liæ Regis Oratores sibi devincire, eo-
que inducere studerent, ut Regem suum
Polo propitium redderent, eoquod hic
præ ceteris ad occupandam Sedem A-
postolicam magis idoneus videretur.
His quoque subjunxit Regina, quod i-
psamet suas preces pro Polo Cardinale
interponeret, ita tamen, ut hic hac de
re ne obscuram quidem haberet no-
titiam. Attamen priusquam Regina
hasce literas exarrasset, jamjam in con-
clavi de futuro Pontifice erat conclu-
sum.

§. II.

*Ferrariensis Cardinalis rursus a qui-
busdam in Papam expetitus.*

Nihilominus ad Franciæ Regis pre-
ces Polus in sacris hisce Purpura-
torum comitiis proponebatur: verum
in hoc quoque conclavi æque, ac priori
eadem fervebant suffragantium moli-
mina, in hoc tamen notabatur discrimen,
quod antea Cæsarei Gallorum
artes eluserint, cum tunc Virum ipsis
quoque omnino acceptum proposuerint,
in præsentibus econtra comitiis Galli

*Pallav. l. 13.
c. II. n. 8.*